MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81318-6

AUTHOR:

GAFFIOT, FELIX

TITLE:

ECQUI FUERIT SI PARTICULAE IN...

PLACE:

PARIS

DATE:

1904

Master Negative #

93-81318-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dissertation

877.52 Gaffiot, Felix, 1870-1937
Z6 v.1 Ecqui fuerit si particulae in interrogando Latine usus
Paris 1904

No. 6 of a vol of dissertations

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-22-93 INITIALS m.DC.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No 6

87
26

ECQUI FUERIT
SI PARTICULAE
IN INTERROGANDO LATINE USUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

FELIX GAFFIOT

PARIS
LIBRAIRIE C. KLINCKSIECK
11, RUE DE LILLE, 11

1904

ECQUI FUERIT

SI PARTICULAE

IN INTERROGANDO LATINE USUS

ECQUI FUERIT
SI PARTICULAE
IN INTERROGANDO LATINE USUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

FELIX GAFFIOT

PARIS
LIBRAIRIE C. KLINCKSIECK
11, RUE DE LILLE, 11
—
1904

ÆMILIO JULLIEN

IN UNIVERSITATE LUGDUNENSI PROFESSORI,

Qui mihi litterarum Latinarum et doctor et auctor fuit,

Haec Latina summa cum mea diligentia et observantia dicantur.

F. G.

PRAEFATIO

Ne quis forte putet, me, cum hoc susciperem, ut opinionem consensu doctissimorum fere omnium hominum jamdiu probatam confirmatamque labefactarem, nihil aliud contendisse nisi ut insolentia et inaudita et quae admirationem utique moverent proderem, hoc est hujus libri principium, hic fons.

Dum enim res eas comparo, quibus opus alterum struam, quod in usu quodam conjunctivi describendo institui (1), dum fabulas Plautinas Terentianasque perlego, accidit, ut complures locos seponerem miratus, quo in iis modo *si* particula niteretur. Haec dicitur ibi vim interrogativam habere, modum autem indicativum ferre, non conjunctivum, qui in interrogationibus obliquis exsistere soleat; compertum enim esse indicativum in obliquis etiam interrogationibus a veteribus scriptoribus usurpari. Fateor me, qui hanc doctrinam verecunde et dubitanter acciperem, tunc obliquarum interrogationum artem retractare voluisse. Qua retractata inveni totum illud de indicativi usu non posse probari; multa discerni oportere, multa sejungi, multa alio conjici, quae societate quadam male

(1) Hoc inscribitur : « Un emploi libre du subjonctif latin : le subjonctif de la subordination nuancée ».

inter se conjuncta ad legem falso ferendam ducerent. Nam, ut cetera mittam et in hoc uno, quod quaero, habitem, illud mihi videor posse ponere, numquam in obliquis quidem sententiis particulam ullam interrogativam — particulam dico, quoniam in hoc genere particulas a ceteris interrogationis vocibus secernendas moneo — cum alio ullo modo nisi cum conjunctivo consociari. Quam rem quibus rationibus ut defenderem, sim adductus, nihil sane ad hoc tempus. Satis ei, qui talia studio prosequitur, me fecisse arbitror, cum dixero, me et quae Becker ceterique protulerunt omnia subtiliter, quatenus potuerim, perspexisse, et in primis ad Plauti Terentiique carmina semper me rursus contulisse, ut sententiae firmissima adjicerem adminicula. Ne multa, hoc plane exploratum confisus, summam in dubitationem incidi, concedendumne jam illis esset an repugnandum, qui inveteratam illam quidem opinionem profiterentur, *si* particulam a Plauto, Terentio, aliis denique multis, qui ad sermonem cotidianum scribendo propius accederent, in interrogando esse cum indicativo inductam. Porro non hanc solum rem, sed etiam illam disputationem omnem, qui fuerit *si interrogativi* usus, indagare mihi proposui. Postquam indagavi, res mihi ita evenit, ut omnia fere adhuc praecepta inania viderentur. Itaque existimavi operae pretium esse, hanc rerum novitatem proferre, etiamsi periculum esset, ne primo multis offenderem. Sperabam equidem non tam me quam res ipsas fidem esse facturas, et id brevi consecuturas, ut viri docti, naturali quadam et paene necessaria dubitatione deposita, recentiorem hanc grammaticae rationem libenter acciperent. Veniamus igitur ad propositum.

Quod ante omnia certis finibus circumscribi oportet, quia non desunt causae, ut, qui legunt, cum aliud ac

scriptor intueantur, longe ab eo, quo ille ducere velit, auferantur. Namque ego illud dumtaxat exponere statui, ecqui fuerit *si* particulae in interrogando Latine usus. *Si* ergo interrogativum, non aliud quodquam quaerimus. Quod non committendum est, ut cum *si* quodam condicionali confundas. Quam rem enim jampridem monuit Riemann, eamdem ego rursus commemorari convenire arbitror, *si* cum conjunctivo junctum, cum significationem illam praestet, quam Gallice reddas « pour le cas où », [vide partem additam priorem], non in interrogativarum particularum numero, sed in condicionalium esse habendum. Quae definitio ita non supervacanea est, ut, quamvis dilucida appareat et ad probandum facilis, tamen sint qui nonnumquam alterum cum altero commisceant, itaque in errorem delabantur. Testimonia hujuscemodi erroris mox praesto erunt. In hoc quidem me plura dicere non refert.

Jam hunc librum meum ita constitutum esse admoneo, ut sua cujusque scriptoris exempla, si qua essent (1), una conlata prodirent, Plauti, Terentii, ceterorum: sua autem quodque exemplum fere sequeretur disputatio; denique singula e singulis partibus concluderentur, quae ad totius libri conclusionem pertinerent.

Quos vero doctorum libros, ut haec conscriberem, potissimum tractavi, artibus grammaticis adnumerandi sunt libri Holtzii, Beckeri, Riemanni, aliorum, quos infra separatimque refero; quorum nullius opiniones hic perpendere volui, cum illis hanc meam ipsam satis repugnaturam esse putarem.

(1) Quae undique, ut potui, omnia congregavi, omnia protuli, nec quicquam contrarium subterfugisse reticendo, dicendo obscurasse me confido.

ANTOINE. *De la parataxe et de l'hypotaxe dans la langue latine* (Rev. des Et. anc., 1899-1900).
BECKER. *De syntaxi interrogationum obliquarum apud priscos scriptores Latinos* (1873). Studemund, I, p. 115-316.
BLASE. *De modorum temporumque in enuntiatis condicionalibus Latinis permutatione quaestiones selectae.* Argentorati 1886. *Zur Syntax der Bedingungssaetze im Lateinischen.*
FURHMAN. *Der Indicativ der indir. Fragesaetze bei Plautus* (Jahrb. f. Phil. CV, p. 809).
GERBER-GREEF. *Lexikon Taciteum.*
GRABENSTEIN. *De interrogationum enuntiativarum usu Horatiano.* Halis Saxonum, 1883.
GUTSCHE. *De interrogationibus obliquis apud Ciceronem observationes selectae.* Halis Saxonum 1885.
HOLTZE. *Syntaxis priscorum...* Lipsiae 1862; — *Synt. Lucretianae lineamenta*, ibid. 1868.
KLINTBERG. *De formis enuntiationum condicionalium apud Tacitum* Holmiae (1877).
KRUMBIEGEL. *De Varroniano scribendi genere quaestiones.* Lipsiae. 1892.
LINDSKOG. *De enuntiatis apud Plautum et Terentium condicionalibus.* Lundae, 1895.
RIEMANN. *Etude sur Tite-Live*, 2e éd. Paris, 1885.
SCHRŒTER. *Die Condicionalsaetze des Dichters Lucrez.* Jenae, 1874.
SVEN TESSING. *Syntaxis Plautina.* Venersborg, 1895.
WOLFF. *De enuntiatis interrogativis apud Catullum, Tibullum, Propertium.* Halis Saxonum, 1883.

DISPUTATIO

I. PLAUTI EXEMPLA

A. — Post verba *videndi*, septem; B. — *sciendi*, sex; C. — *quaerendi*, tria. Quorum nullum, ut semel dicam, proprio meo arbitrio ipse prompsi; semper fuit aliquis auctor.

A. Trin. 748: Vide, si hoc utibile magis atque in rem deputas,
Ut adeam Lesbonicum, edoceam ut res se habet.

Ita scribit Leo P secutus; pro *ut* Gœtz et Schœll A confisi dant *ipsum*. Quicquid est, *si* particula in neutra certe scriptura interrogationem inducit, sed in utraque condicionali praeest enuntiationi. Si enim cum Goetzio et Schoellio facias, duae sunt primariae enuntiationes, in quibus, cum futuri indicativum exspectes (1), conjunctivus potentialis invenitur: « Vide; si hoc utibile magis atque in rem deputas, ipsum *adibo* Lesbonicum, *edocebo* ut res se habet. » Sin Leonem sequaris, una est primaria, in qua pro futuri indicativo *edocebo* conjunctivus potentialis invenitur *edoceam*;

(1) Quod in primaria futurum, in condicionali praesens inveniri potest, id non mirum. Vide Most. 1131: ego ibo pro te, si tibi non lubet; Trin. 607: Si hoc non credis, ego credidero.,.; ibid. 1064: sin secus es, faciam ut jubes; Poen. 442: si nequeo facere ut abeas, egomet abiero.

enuntiatio autem consecutiva « *ut* adeam Lesbonicum » e pronomine *hoc* nectitur. Nam illud Leoni non adsentior, qui ponit utrumque conjunctivum et *edoceam* et *adeam* e particula *ut* pendere, quique *vide* cum *si* conjungit. Quod vero ad potentialem conjunctivum pro futuri indicativo adlatum spectat, non est quod haereas. Vide enim et alia et Merc. 351 :

Nunc si dico ut res est atque illam mihi me
Emisse indico, quemadmodum existumet me ?

Ibid. 763 : Sed vide consilium, si placet. — Quid consilist ?

Errare mihi videtur, qui eamdem esse sententiam putat ac si hoc esset scriptum « sed vide consilium *placeatne* ». Nam particula, cui vis condicionalis, non interrogativa est, formulam quamdam rogandi tritam inducit, quam Gallice « s'il te plaît », « de grâce », Germanice « gefälligst », « wenn es dir recht ist » reddas, quacum conferas « si vis », « si lubet », « si videtur ».

Pers. 825 : Nequeo, leno, quin tibi saltem staticulum, olim quem Hegea
Faciebat. Vide vero, si tibi satis placet.

Etiamsi ad superius exemplum hoc proxime accedere videtur, tamen id magnum interest, quod in « si placet » velut in « si lubet » impersonalis vis inest, in « si tibi satis placet » autem personalis. Observandum est praeterea, verbum ipsum, *vide*, suam vim propriam retinere ; nam Sagaristio servus, simul ac dicit, agit et saltat. Sic denique sententia : « Adspice hunc staticulum, si is tibi satis placet », vel, ut ambiguitatem removeas, « si hic tibi staticulus placet, eum adspice ». Ubi scilicet multa ironia significatur.

Epid. 567 : Fac videam, si mea, si salva (mihi sit).

Hunc versum edidit Leo. Sed, ut sunt libri manu scripti, cum Goetzio et Schœllio facere praestat : « Fac videam, si me esse salvam vis ». In quo vis condicionalis manifesta est. Ac quidem, etiamsi a Leone stes, non dubium est, quin condicio particula inducatur : « au cas où... ».

Bacch. 529 : Ibo ut visam huc ad eum, si forte est domi.

Falso *visam* cum *si* copulatur, ut fiat interrogatio. Nam sensum claudicare statim compereris, si cogitaveris, quas jam in sententia partes obtinere possit *ad eum*; tamquam dicas : « ibo huc ad eum, ut visam num sit forte domi ». Liquet vero particulam esse condicionalem, totumque ita intellegendum : « ibo, ut visam, huc ad eum. At quid loquor ? Ad eum ? Si *modo*, si *saltem* est domi (1) ». Qui animadverteri se, cum diceret « ibo, ut visam, huc ad eum » longius quasi processisse — non enim pro certo habet se eum conventurum esse — hanc condicionem confestim excipit, « si forte domi est ».

Cas. 591 : Viso huc, amator si a foro rediit domum,
Qui me atque uxorem ludificatust, larva.
Sed eccum ante aedis.

De particula sic usurpata, quam in Gallicum « dans le cas où », in Germanicum « in dem Falle dass » vertas, vide partem priorem huic disputationi additam (p. 42).

(1) Cum hoc exemplo illa similia confer, Aul. 174 : Ego conveniam Euclionem, si domist ; Phorm. 899 : Demiphonem, si domist, visam ; Ad. 154 : Volo scire atque hominem convenire, si apud forumst ; ubi nemini dubium esse puto, quin *si* condicionem inducat.

Most. 838 : At tu isto ad vos optuere, quoniam cornicem nequis
Conspicari, si volturios forte possis contui.

Sven Tessing, cum inter *si* interrogativi exempla hoc numerat, in eum errorem, quem supra monstravi, infertur. Vide partem additam priorem (p. 44).

B. Men. 142 : jam sciam, si quid titubatumst, ubi reliquias videro.

Si quid pro *quod* relativo, ut fit persaepe, vi quadam condicionali addita : « Sciam id, quod titubatum est, si quid titubatum est, ubi primum reliquias videro », vel « si quid titubatum est (1), jam id sciam, ubi reliquias videro ».

Merc. 156 : Egon ausim tibi usquam quisquam facinus falsum proloqui?
Quin jam prius quam sum elocutus, scis si mentiri volo. — Ah.

Hanc habes Camerarii emendationem « scis si », quam Leo, Goetz et Schoell, ceteri accipiunt, cum in libris manu scriptis legatur *scisset* vel *scisse*. Profiteor vero hanc non satis mihi placere; illam, quae una librorum scripturam maxime servat, propono : « scis, *set* mentiri volo ». Unde hic sensus : « id jam scis quod elocuturus sum, priusquam sum elocutus; *set* tamen mentiri volo! » Quam exclamationem cum interrogatione superiore eo magis congruere constat, quod querelam servi Charinus quam vehementissime potest depellit.

(1) De eo, quod praesens in condicionali, futurum autem in primaria exsistit, vide n. 1 p. 13.
Ac quidem huc illum locum adferri maxime convenit, Poen. 1040 : Et si quid opus est, quaeso, dic atque impera, ut, quem in « *si quid titubatumst* » usum particula praebuerit, declaretur.

Asin. 399 : ... Jam hic credo adfuturum. —
Qua facie voster Saurea est? si is est, jam scire potero.

« Si is venit reapse, quem dicis, facie cognita, jam scire per me ipse potero. »

Pers. 47 : Si quid erit, (te fac) iam ut scias.

« ... faciam, ut *id* scias ».

Cist. 682 : Nunc vestigia hic si qua sunt noscitabo.

Non committendum est, ut *noscitabo* cum *si* conjungas, ut intellegas « noscitabo *sintne* aliqua vestigia ». Liquet hunc esse sensum « si qua sunt hic vestigia, *ea* noscitabo.

Epid. 545 : Longa dies meum incertat animum, sei(n) east quam incerte autumo.
Hanc congrediar astu.

Goetz et Schoell Geppertum secuti *n* litteram delent, ut *si* ex *incertat* pendens cum vi interrogativa faciant. Satius est profecto scripturam codicum servari integram et, ut sunt apud Leonem, versus ita scribi : « Longa dies meum incertat animum. Sin east quam incerte autumo, hanc congrediar astu ». Post *autumo* enim Periphanes sententiam ad finem non producit, sed ideo subitum et repentinum *congrediendi* consilium capit, quia fieri posse cogitat, ut, quam conjectura mulierem esse auguratur, illa re vera stet ipsa ante oculos.

C. Rud. 329 : Eadem sacerdos Veneria haec si quid amplius scit,
Si videro, exquisivero; faciet me certiorem.

Hoc *si interrogativi* exemplum grammatici solent proferre, *exquisivero* cum *si quid... scit* juncto, ut sensus idem sit ac si haberes « exquisivero, num sciat aliquid amplius ». Sed cavendum est, ne verbo *exquisivero* decipiaris; nam utrum verbum in sententia majoris sit momenti, si quaeres, cum rationem, qua res inter se excipiunt, consideraveris, esse *faciet* non animadvertere non poteris; *exquisivero* autem repentina ea cogitatione, « si videro », quae menti loquentis occurrit, adduci. Quod ad tempora verborum pertinet, vide supra p. 3, n. 1.

Pers. 44 : Quaesivi, nusquam repperi. — Quaeram equidem, si quis credat.

Habes etiam usum illum *si* condicionalis proprium, quem ante erroris causam esse monstravi. Vide partem additam priorem (p. 44).

Merc. 941 : Rogito quis eam vexerit, quis habeat, si ibi indaudiverit.

Idem est hic usus, nedum *si indáudiverit*, velut *quis vexerit, quis habeat*, e *rogito* pendeat. Vide partem additam priorem (p. 44).

CONCLUSIO

Nusquam igitur apud Plautum, neque cum conjunctivo, neque cum indicativo, *si* particula in interrogando invenitur.

II. TERENTII

A. — Post verba *videndi*, sex; B. — *sciendi*, unum; C. — post *nuntiare*, unum.

A. Ad. 239 : Unum hoc habeo, vide, si satis placet.

Cavendum est, ne, cum in *si placet* saepe consistat formula celebrata et trita rogandi, ideo eamdem hic esse credas. Quod jam ad Pl. *Pers.* 825 adnotavimus, id ad hunc locum iterum adnotandum, *placet* non esse verbum impersonale, subjecto autem uti. Verbum vero *vide* vim quamdam hic praestat, eamdem fere ac *provide* vel *consule,* quae quidem a consuetudine loquendi nequaquam abhorret. Sic sententia : « Unum hoc habeo, quod tibi proponam; si satis placet, vide quid eo facere velis (arrange-toi, fais en ton profit). »

Phorm. 553 : Vide, si quid opis potes adferre huic. — Si quid quid? — Quaere, obsecro.

« Considera, si res ita se habet, ut opem ferre possis (dans le cas où...). » Vide partem additam priorem (p. 42).

Eun. 838 :

Quid facias, rogas?
Vide, amabo, si non, quom aspicias, os inpudens
Videtur! Non est? Tum quae ejus confidentiast!

Quales versus ediderunt et alii et Fabia, tales ego adtuli. Sed me Donatum sequi malle fateor, qui Thaïdem « non est » loquentem fecit; in quo quidem cum nonnullis codicibus (D^2 E^2 G^2 L) congruit. Nam hic mihi videtur locus :

Quid facias, rogas ?
Vide, amabo; si non, quom aspicias, os inpudens
Videtur... — Non est. — tum quae ejus confidentiast !

Pythias, cum dicit « tum quae ejus confidentiast ! », et sententiam inchoatam concludit et Thaïdi quodammodo respondet; ita fere : « Si non inpudentia, at quae confidentia ! » Ac considera *tum* adverbium, etiamsi Thaïde nihil intermittente oratio continua esset, recte usurpari potuisse; quod saepe in primaria enuntiatione esse solet, sive enuntiatio condicionis antecedit, sive sequitur (1).

Heaut. 170 : Tempust monere me hunc vicinum Phaniam
Ad cenam ut veniat : ibo, visam, si domist.

Ut ante in Plautino loco (p. 15), ita nunc in Terentiano defendo *si* non esse interrogativum neque Terentium personam dicere voluisse « visam, num sit domi ». Qui cum ejusmodi sententiam expromere animum induxit, particulas interrogativas e consuetudine admovendas curat, ut in Phorm. 445 : abi, vise redieritne jam an nondum domum, ut in Eun. 663 : vise, amabo, num sit..., ut in ceteris locis. Itaque in hoc particula non condicionalis esse non potest : « ibo, visam eum, saltem si domi est ».

(1) Vide enim Mil. 1365 : si id facies, tum demum scibis; Rud. 192 : sed id si parate curavi ut caverem, Tum hoc mi..; Merc. 458. — Men. 346 : tum demum sciam Recte monuisse si tu recte caveris; Pseud. 910 : tum pol ego interii, homo si ille abiit.

Eun. 545 : Nunc mi hoc negoti ceteri dedere, ut illum quaeram;
Idque adeo visam, si domist.

Eamdem in hoc rationem disputationis esse liquet.

Ad. 549 : Nunc redeo, si forte frater redierit, viso.

Sunt qui *redierit* conjunctivum interrogationis obliquae esse ducant; sed nihil est aliud nisi futurum exactum, et sententia tota, condicionalis. Nam pro « si forte frater redierit, *visam* », habes « si... redierit, *viso* »; *viso* autem non secus ac consuetudo sermonis fert, in locum futuri *visam* admovetur. Vide enim et alia exempla et Plautina haec, Ps. 100 : nisi... lacrumis fleveris argenteis... Non pluris refert quam si imbrem in cribrum geras; Men. 472 : Non is sum, qui sum, ni hanc injuriam Meque ultus pulcre fuero.

B. Hec. 321 : Uxorem Philumenam
Pavitare nescio quid dixerunt; id, si forte est, nescio.

Haec adnotat Thomas : « *id si forte est* « si par hasard c'est cela (qui cause cette agitation, ces allées et venues). » *Nescio si* avec l'indicatif est une construction de la langue archaïque et populaire ». Sed errare mihi videtur. Parmeno enim servus domino de Philumena nihil nuntiavit; a domino autem, cui mens est vehementer sollicita, interrogatus, incerta consulto respondet, quo melius impetum declinet : « pavitare nescio quid dixerunt »; statimque, qui culpa non vacare se senserit, iterando inscientiam confirmare studet : « id », hoc est, « eum pavorem nescio »; atque adeo, ut se dubitanter loqui planius etiam significet, illam sententiam interponit « si forte est ».

C. Heaut. 618 : Abi nunciam intro, atque illa si jam laverit, mihi nuntia.

Sententia quoque condicionalis : « si jam laverit, *id* mihi nuntia ».

CONCLUSIO

Nusquam igitur, ut apud Plautum, ita apud Terentium, nec cum conjunctivo, nec cum indicativo, *si* particula in interrogando invenitur.

III. CICERONIS

Post *videre*, unum ; post *ambigere*, unum.

Inv. II, 29, 87 : Hoc in genere primum, sicut in ceteris, si quid aut ex conjecturali aut ex alia constitutione sumi possit, videri oportebit.

Hic Tullianus locus Plautini (*Men.* 142), p. 16, vicinus est, eo tantum ab illo disjunctus, quod particulam conjunctivo subnixam praebet. Nam enuntiationem habes condicionalem, quae easdem fere, quas relativa, partes tenet ; conjunctivo autem eventuale aliquid adquiritur : « oportebit id videri, quod... sumi potest, *si* quid sumi *possit* », « si quid... sumi possit, *id* videri oportebit ».

Ibid. II, 42, 122 : Ambigunt agnati cum eo, qui est heres, si filius ante, quam in suam tutelam veniat, mortuus sit.

Ego fateor equidem mirari quid sit quod tot et tam docti viri quasi una mente consenserint, e verbo *ambigunt* esse *si* particulam nectendam, ut in ea vis insit interrogativa. Certe tamen, si adtendes, intelleges particula enuntiationem eam, quae heredem definiat et describat, induci (1), adhibitoque conjunctivo eventuale aliquid admisceri : « ambigunt cum eo, qui ea condicione est heres, si filius... mortuus sit ».

(1) Observa hac definitione ipsam testamenti scripturam referri : « Si filius ante moritur, quam in tutelam suam venerit, tum mihi ille heres esto. »

— At, qua de re ambigatur, nisi *si* cum *ambigunt* copules, incertum. — Minime. Nam post scripturam testamenti datam, id additur « filius natus non est ». Quod unum satis declarat, quae res in controversiam venerit; hereditas scilicet; neque plura dici decuit.

CONCLUSIO

Nusquam igitur apud Ciceronem *si* particula in interrogando invenitur.

IV. VERGILII

Post verba *dubitandi*, duo.

Æn. I, 218. ... Amissos longo sermone requirunt
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati nec jam exaudire vocatos.

Servius : « hoc loco *seu* pro *utrumne* ». Neque vero ei, neque aliis, quicumque eum in hoc loco explanando ducem sequuntur, possum adsentiri. Vergilius enim, postquam, ut se haberent Romanorum animi, breviter expressit, « dubii inter spem et metum », causas ejus rei, quales ipse cogitat, addit, ut tamen eas pro certis non adfirmet. Itaque et disjunctionis formam et conjunctivum admovet « *seu* vivere *credant*, *sive*... ».

Æn. IV, 110 : Sed fatis incerta feror, si Juppiter unam
Esse velit Tyriis urbem Trojaque profectis,
Miscerive probet populos, aut fœdera jungi.

Ex *incerta* pendere *si* volunt multi, falso, ut opinor. Nam, grammatica ratione seposita, sensui male est. Quid enim aliud refert a Venere, cujus auxilium rogatur, Junoni responderi nisi verba fere hujus modi? « Ego quidem nihil possum; tui vero est apud Jovem, conjugis apud virum, potentiam experiri. » Hoc autem ipsum Venus respondet, si non aperte, at callide, ut decet : « incerta fatis feror », id est « eo,

nescio quo, fatis lata, ut non scire, ut non repugnare coner, quicquid facturus est Juppiter ». Quae vero ita « quicquid facturus est Juppiter » ego expressi, ea Vergilius et copiosius quidem et lepidius : « si Juppiter unam esse velit urbem... »; ubi *si... ve* idem prorsus, quod *sive... sive* valent, dubitatione etiam, ut supra, per conjunctivum admixta.

CONCLUSIO

Nusquam igitur apud Vergilium *si* particula in interrogando invenitur.

V. HORATII

Post verba *videndi*, duo; post *rogare*, unum.

Ep. I. 17.4 : Tamen adspice, si quid
Et nos, quod cures proprium fecisse, loquamur.

Eo multi feruntur, ut *si* cum *adspice* conjungant, intellegantque « adspice, num... » Sed *adspice* idem quod *attente audi* valet. *Si* vero, ut est cum conjunctivo, vim illam, de qua saepe diximus, condicionalem praebet « pour le cas où ». Qua forma loquendi bene usus est Horatius, quo moderatius amicum admoneret. Vide partem additam priorem (p. 46).

Ep. I. 7. 38 : Saepe verecundum laudasti, rexque paterque
Audisti coram, nec verbo parcius absens :
Inspice, si possum donata reponere laetus.

Quia, ut supra *adspice si*, ita hic *inspice si* conjungi solent, idcirco mihi totus locus nondum videtur satis explanatus. Nec enim quisquam vere ostendit, quemadmodum poeta per versus illos quasi incederet, qua ratione tertius e superioribus necteretur; neque, quod maximum est, quid esset causae, cur Horatius in hac epistula summam semper verecundiam, summam, ne vel minime offenderet, sollicitudinem, admotis etiam fabulis multis, quae, ut ita dicam, pro se ipso loquerentur, summam denique elegantiam et urbanitatem et suavitatem praestaret, in hunc unum locum nescio quid vul-

garc et rusticum et ineptum quasi conderet et reponeret. Quis est enim qui neget illud imperite dici « inspice, si possum donata reponere laetus », si intellegendum « inspice, num possim... ». Quod vero de ea forma loquendi « inspice, si possum » dicunt, esse cotidiani sermonis et antiquioris, satis, nisi fallor, exploratum est, quatenus errarent. Etenim *inspice* nihil ad *si* pertinet, sed ad superiora; *si* autem propemodum idem est ac *si quidem*. Vide partem additam priorem (p. 44). Qua interpretatione uti nisi gravaberis, continuo locum totum perclarum comperies. Nam talia fere scripsit poeta: « Non te fugit me in te semper fuisse et verecundum (quocumque me donasti, id tu semper lubens et tua sponte, ut nihil umquam ego a te rogaverim) et gratum (tu mihi plus quam patronus es, teque regem et patrem, sive absentem sive praesentem, semper appellavi); haec omnia inspice, considera, si re quidem is sum, quem modo esse pronuntiavi, qui donata laetus reponam. Considera; nam si eo adducerer, ut reponerem (reponere autem possum), nullam in reprehensionem incurrerem ». Quid multa? Superioribus illis versibus:

> Hac ego si compellor imagine, cuncta resigno
> Nec somnum plebis laudo satur altilium, nec
> Otia divitiis Arabum liberrima muto.

Maecenatem Horatius illud graviter admonuit, se nihil antiquius umquam libertate habuisse, quam ut vindicaret ad cuncta resignanda esse paratum; his vero, de quibus quaerimus, addit etiam ad omni vituperationi tamquam occurrendum, se sine pudore id posse agere; addit autem ea solertia, qua solet, ut non plane dicat, sed ad sentiendum potius praebeat: « saepe verecundum laudasti... ». Idemque valde curavit, ne admonitionem illam « inspice, *quia* possum donata reponere laetus » asperiorem sane durioremque daret; sed molliore *si* particula adlata, in qua numquam natura nihil dubitationis haeret insitum, amico potenti moderate et scienter usus est.

Ep. I. 6. 41:

> ...Chlamydes Lucullus, ut aiunt,
> Si posset centum scenae praebere rogatus,
> Qui possum tot? ait...

Errore quodam falluntur, qui sententiam a poeta ita conformatam esse putant, ut *si posset* cum *rogatus* jungeretur. Fac enim colloquium ab initio relatum; hoc est: « Praebeas rogo, si potes, centum chlamydes scenae ». Respondet Lucullus: « qui possum tot?... » In interrogatione autem obliqua e *si potes* recte efficitur *si posset*; quod in scriptura a *centum* subdistinguendum: « Si posset, centum scenae praebere rogatus ». Ad unum tamen mens est vertenda, ad infinitivum post *rogatus* usurpatum. Quam formam loquendi ab oratione soluta remotam poetae, ut audaciores in loquendo, saepe usurpare solent. In eo non est quod commorer.

CONCLUSIO

Nusquam igitur apud Horatium *si* particula in interrogando invenitur.

VI. LIVII

Post verba *cogitandi*, duo; post *quaerere*, tria; post *referre* unum; post *percunctari*, unum.

XXIV. 45, 5 : ... ut, cum illud potius agendum atque cogitandum sit, si quo modo fieri possit, ne qui socii a populo romano desciscant, id, non cogitent.

Riemann haec adnotat (1) : « *Si quo modo* est pour *num quo* ou *ecquo modo etc.*; cet emploi de *si* au lieu de *ne* ou de *num* dans l'interrogation indirecte appartient au latin vulgaire, mais se trouve plusieurs fois dans Tite Live ». Male, ut opinor, R. interpretatus est locum. Pronomen enim *illud*, quamquam *si quo modo fieri possit* intercedit, particulam *ne* ita parat et tamquam praenuntiat, ut haec sententia ad illam denique recidat : « ... ut, — cum *illud* potius agendum atque cogitandum sit, *ne* qui socii a populo romano desciscant, si quo modo fieri possit, — id non cogitent. » Miror equidem quid sit quod Riemann [*Rev. de Phil.* 1882, VI, p. 200] contenderit, *si quo possit* voces inanes esse, nisi ex *agendo* atque *cogitando* pendeant.

XXV. 36, 5 : Postquam... apparebat parum armis ad tuendum locum sine munimento valituros esse, circumspectare atque agitare dux coepit, si quo modo posset vallum circumjicere.

(1) Ed. Hachette. Rem. 161.

Videlicet verba *circumspectare*, *agitare* nullam vim aliam habent ac verbum *tentare*, vel quodvis simile. *Circumspectare* enim id est oculis tentare; *agitare*, mente. Quamobrem jure *si* admotum est, idque cum conjunctivo.

XXIX. 25.8 : Postquam convenerunt, primum ab iis quaesivit si aquam hominibus jumentisque... imposuissent.

Hic facere non possum, quin *si* particulam ad interrogandum adhiberi fatear. Observemus autem eam e verbo *quaerere* necti.

XXXI, 9.8 : Quamquam et res et auctor movebat, tamen ad collegium pontificum referre consul jussus, si posset recte votum incertae pecuniae suscipi.

« Referre ad collegium » id est « collegium consulere ». In *consulendo* autem inest vis aperta et perspicua *tentandi*, *experiendi*. Unde *si* particula usurpata, eaque cum conjunctivo.

XXXIII. 35. 3 : Qui de minoribus rebus editis mandatis percunctatus, si consilium non utile solum, sed etiam salutare admittere auribus posset.

In verbo *percunctari* Livius, cum originem respiceret (*cunctari*, *cunctatio*), non tam vim *rogandi* quam *tentandi*, *scrutandi* residere voluit. Itaque cum eo *si* particulam junxit.

XXXIX. 50. 7 : Accepto poculo nihil aliud locutum ferunt quam quaesisse, si incolumis Lycortas... equitesque evasissent.

Alterum habes locum, in quo *si* ad interrogandum a Livio adhiberi fatendum est. Verbum vero idem atque supra.

XL. 49. 6 : Et primum quaesivit sub eone liceret ac suis vivere. Cum praetor victurum respondisset, quaesivit iterum, si cum Romanis militare liceret.

Hic tertius locus, ubi *si* interrogationem inducit; idem quoque verbum. Illud autem est observandum, quod quidem ad hanc disputationem plurimum valet, verbum *quaerere* in altera sententia cum *ne*, in altera cum *si* esse conjunctum. Ego vero arbitror particula mutata, etiamsi verbum non mutetur, sensum aliquantum mutari. Cum enim *ne*, vel *num* adest, vim meram interrogationis habet verbum *quaerere;* cum autem *si*, idem verbum fert secum aliquid, quod verborum *tentare*, *experiri* proprium esse solet. Idque non mirum. Nam satis constat in verbo illo aeque atque in substantivo *quaestione* vim inesse aliquam *tentandi*, *scrutandi;* ac commemorari satis est, qualis illius in judiciis sit usus.

CONCLUSIO

Tres igitur sunt apud Livium loci, in quibus *si* particulam ad interrogandum esse admotam negari non posse videatur. Neque his plures inveni.

Nec vero quemquam fugit perpaucos esse, praesertim cum ad totum Livii opus spectetur. Num porro hos depellere, aut dubios habere licet? Ego quidem id semper improbavi, quod multi, cum nulla esset causa, cur libri manu scripti in suspicionem vocarentur, locos tamen aut emendare studuerunt aut saltem neglegendos putarunt ideo tantum, quod illos ei, quam defendebant, opinioni repugnare sentiebant. Quamobrem hos, quoniam nihil codicibus datur ad dubitandum, servari integros oportere existimo.

Quibus servatis rem magni momenti ne omittas, vehementer hortor, nullo in iis alio verbo nisi *quaerere* particulam esse adscitam. Haec est, mea quidem sententia, ratio ipsa, cur ita haec particula illuc adveniat, locumque particularum vere interrogativarum, *ne* vel *num*, tenere videatur. Nam quod modo adnotavi, in *quaerendo* vim esse aliquam *tentandi*, *scrutandi* insitam, id iterum proferendum. Ne multa, in unoquoque exemplo *si* particula vim interrogativam ita adsumit, ut tamen condicionalem non prorsus amittat; denique ut mediam quamdam habeat.

VII. LYGDAMI

Unum post *referre.*

I. 19 :

Ite domum cultumque illi donate libellum,
Sicut erit : nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua curast,
An minor, an toto pectore deciderim.

Quidam ita locum illum interpretari solent, ut e verbo *referet*, velut tripartitam interrogationem, *si*, *an*, *an*, nectant; quibuscum consentire nequeo. Pierides enim vocat poeta, ut Neaerae domum eant eique deferant libellum, quo illam, exorientis anni munere, donare vult. Donat autem nescius, quo nunc etiam ipse amore diligatur. Itaque sperat eam, tamquam remunerando, sibi relaturam, utrum aliquo an nullo jam amore amori respondeat : « illa mihi referet an minor, an toto pectore deciderim ». Idemque ne nimiam spem concepisse videatur, illud *referet*, in quo nonnulla adrogantia adfirmandi continetur, hac enuntiatione condicionali addita mollit « si nostri mutua cura est »; ubi scilicet *cura* non eamdem rem, quam *amor*, significat. Neque vero quod pro *utrum... an* bis *an* particula usurpatur, neque quod futurum in primaria, praesens in secundaria ponitur, idcirco haerendum. Nam de hoc saepe jam dictum est, de illo rogo videas, Verg. Æn. X, 681; Ov. Met. X, 254; Plin. Hist. nat. XV, 6; XXXV, 59.

CONCLUSIO

A Lygdamo igitur *si* particula ad interrogandum admota esse dici non potest.

VIII. PROPERTII

Post verbum *quaerere*, duo; post *perdiscere*, unum.

II. 3. 5 :

Quaerebam, sicca si posset piscis arena
Nec solitus ponto vivere torvus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare severis :
Differtur, numquam tollitur ullus amor.

Si particulam videlicet ad interrogandum usurpavit poeta. Ceterum ad Liviana redi.

II. 34 b. 53 : [L. Müller : III. 32]

Harum nulla solet rationem quaerere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restabimus undas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.

Idem usus particulae, qui supra, in quarto versu patet. In tertio autem — talem habes, qualem Lucianus Mueller Hauptium secutus edidit — plurimum est dubii. Libri enim — vide Postgate — DV ferunt *restaverit undas*, pro quo Neapolitanus, quem optimum dicunt, nihil aliud nisi *restabit*. Ego vero nescio an, cum versum emendari necesse sit, ipsorum lectio librorum *restaverit undas* sit anteponenda. Constat quidem apud Propertium, indicativum in interrogationibus ex aliis verbis pendentibus interdum exsistere, ex *quaerendo* numquam. Qualis tandem e scriptura codicum

exhibendus sit locus, viderint alii; ad rem non ita magni refert, nec conclusio periclitatur.

III. 5, 40 [L. M. IV. 4].

Tum mihi naturae libeat perdiscere mores...
. . . .
Sub terris sint jura deum et tormenta nocentum,
Tisiphones atro si furit angue caput
Aut Alcmaeoniae furiae aut jejunia Phinei,
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas,
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus...

In hoc loco — in quo quidem continuae interrogationes ex uno verbo nexae admirabilem modorum confusionem praebent — *si* particula, sicut *num*, quae particula proxime sequitur, ad interrogandum haud dubie usurpatur. Haec vero duo sunt, quae diligenter observes oportet; unum, quod particula verbo *sciendi* subjungitur, alterum, quod indicativum secum trahit.

CONCLUSIO

Ter igitur apud Propertium *si* particula in interrogando invenitur; bis autem post verbum *quaerere*; de quo vide Liviana.

Semel, quod sciam, post verbum *perdiscere* atque cum indicativo.

IX. CONCLUSIO UNIVERSA

Illud ante omnia ex hac disputatione promere posse me confido — pro certo tamen adfirmare non ausus nihil omnino me fugisse, rem autem, de qua quaesivi, plane perfectam esse atque absolutam, ut nulla jam cuiquam detur in posterum disputandi copia — *Si* non esse inter eas interrogationis particulas numerandum, quae sunt in usu quodam linguae proprio ac vernaculo, nec a scriptoribus umquam, qui quidem pure et latine loqui studerent, non solum ad scenam pompamque, sed ne ad cotidianum quidem sermonem in interrogationibus esse admotum.

Quod Livius conjunctivo subnixum cum princeps adhibuisse videtur, parvo quidem et proprio quodam usu, tum in soluta oratione solus. Nam ne post eum quidem quisquam scriptor id adhibet — non enim usque ad corruptam aetatem descendere volui — cum sint tamen et Senecae et Taciti et alii, qui a novitate ita non abhorreant, ut eam utique sectentur. Quae res sane mirabilis eo me duxit, ut existimarem id fortasse ad Patavinitatem illam, quam increpuit Pollio, aliqua ex parte pertinere. Verisimile quidem mihi videtur, Livium, qui, ut Patavinus, puram et vernaculam Urbis elegantiam loquendi non natura penitus teneret, hac forma dicendi insolita non dubitasse uti, propterea quod analogia fretus ad verbum *quaerere* — in quo, ut dixi, vis aliqua inest *tentandi*, *scrutandi* — propriam verborum illorum constructionem transferri licere sibi persuaderet. Nam illud iterum admoneo, ut consideres, eum *quaerere*, non *rogare* vel aliud quodquam verbum merae interrogationis

cum *si* particula usurpasse. Neque enim, ut *quaerere si*, item *rogare si* scribere potuit. Igitur apud Livium *si* in interrogatione obliqua — conjunctivo, ut fit, posito — invenitur, sed, quod ex eodem verbo *quaerere* tantum pendeat, vim condicionalem etiam retinet. Qui usus, cum non admodum pravus esse videatur, quoniam e fonte latino detortus cadit, tamen ab integro sinceroque sermone aliqua recedit.

Eadem vero particula ad interrogandum vel cum alio verbo juncta, vel indicativo nisa, a consuetudine scriptorum Latinorum prorsus abhorret, ut, si quis hanc viam loquendi ingrediatur, eum nequaquam purgare possis. Nam Propertius quidem malae Latinitatis auctorem se gerit, cum ita loquitur. In quo Graecum, esse dicas, non Latinum.

PARS ADDITA PRIOR

DE *SI* PARTICULA ITA USURPATA, UT GALLICE « DANS LE CAS OU » VEL « POUR LE CAS OU » REDDATUR

Hanc rem eo digniorem putavi, de qua separatim et paulo fusius disputarem, quod occasionem eam mihi datam vidi, ut legem quamdam syntacticam, in qua ferenda firmandaque opus alterum institui, veram et certam rursus comprobarem. Nam totum est in eo, ut ad utrum modum adnitatur particula consideres; aliud est eam ad indicativum adniti, aliud ad conjunctivum. Indicativo enim id efficitur, ut condicio adferatur mera [« dans le cas où »]; interdum etiam, ut dubio longissime remoto particula rem certam inducat atque vim causalem secum ferre videatur non multo secus ac *si quidem*. Conjunctivo, ut condicio quiddam admixtum in se implicet. Implicat autem illud, rem, quam per particulam inducit, esse eventualem et admodum incertam, atque etiam saepissime ejus, qui in primaria enuntiatione verbi actionem agit, menti et consilio propositam [« pour le cas où »]. Utriusque igitur usus tam multa exempla proferam, quae, ut ita dicam, omnia clarissima luce conlustrent.

A. CUM INDICATIVO

α. MERA CONDICIO

Cas, 591. Vide p. 15.

Phorm. 553. Vide p. 19.

Trin. 959 : Enim vero ego nunc sycophantae huic sycophantari volo,
Si hunc possum illo mille nummum Philippum circumducere.

Men. 1049 : Nunc ibo intro...
Si possum exorare ut pallam reddat.

Ibid. 418 : Adsentabor, quicquid dicet, mulieri
Si possum hospitium nancisci.

Rud. 891 : Verum tamen ibo ei advocatus ut siem,
Si qui mea opera citius addici potest.

Trin. 921 : Quod ad exemplum est? conjectura, si reperire possumus.

Poen. 1064 : Ecquid meministi tuom parentum nomina...?
— Memini. — Memora dum mihi,
Si novi forte aut si sunt cognati mihi.

Men. 566 : Em hac abiit, si vis persequi vestigiis.

Heaut. 659 : Nescio, nisi ut ex ipsa quaeras, unde hunc habuerit,
Si potis est reperiri.

Catull. 42. 23 : Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutanda est ratio, modusque vobis
Si quid proficere amplius potestis.

β. VIS CAUSALIS FINITIMA

Pers. 611 : Adduco hanc, si quid vis ex hac percontarier.

Aul. 209 : Redeo ad te, Megadore, si quid me vis.

Epid. 449 : Sed istum quem quaeris Periphanem Platenium
Ego sum, si quid vis.

Hor. Ep. I. 1. 38 : Vide p. 28.

Cic. de Or. II. 70. 283 : Vide, Scaure, mortuus rapitur, si potes esse possessor.

« Si potes... » eam adfert causam, cur Scaurus ad videndum vocetur, sed ita adtenuatam, ut facete, non contumeliose sit dictum : « vois... au cas où tu pourrais », « vois... car il se peut que... ».

Tusc. V. 29. 84 : Sed quaeramus unamquamque reliquorum sententiarum, si fieri potest, ut hoc praeclarum quasi decretum beatae vitae possit omnium sententiis et disciplinis convenire.

B. CUM CONJUNCTIVO

α. RES EVENTUALIS ET INCERTA

Most. 838 : Vide p. 16.

Pers. 44 : V. p. 18.

Merc. 941 : V. p. 18.

Trin. 148 : Ausculto, si quid dicas.

Ubi Megaronides, dum rem ita eventualem incertamque per conjunctivum significat, in Calliclem, qui sane tardiorem sese in narrando praestat, inludit.

β. PRAETEREA QUI IN ENUNTIATIONE PRIMARIA VERBI ACTIONEM AGIT, REM MENTI HABET PROPOSITAM ATQUE ETIAM CONSILIO ET VOLUNTATE DESTINATAM

In hoc genere ii loci omnino numerandi sunt, ubi *si* particula verba *tentandi*, *experiendi*, *exspectandi*, aliaque similia sequitur. Neque vero adtinet me eorum, quos satis notos esse arbitror, quodquam exemplum commemorare; illa potius adferenda videntur.

Cist. 182 : ... Ille extemplo servolum
Jubet illam eumdem persequi, si qua queat
Reperire quae sustulerit. Ei rei nunc suam
Operam usque assiduo servos dat, si possiet
Meretricem illam invenire.

Capt. 28 : Cœpit captivos commercari...
Si quem reperire posset, qui...

Ibid. 100 : Homines captivos commercatur, si queat
Aliquem invenire...

Trin. 558 : Cupit illum ab se abalienarier,
Si quem reperire possit cui os sublinat.

Pseud. 1148: Jam dudum, si des, porrexi manum.

Mil. 1158 : Id nos ad te, si quid velles (1), venimus.

Hec. 429 : Ego hunc adibo, si quid me velit (2).

Caes. B. G. VI. 29. 4 : L. Minucium Basilum cum omni equitatu praemittit, si quid celeritate itineris atque opportunitate temporis proficere posset.

Cic. Ad. Att. XI. 9. 2 : Solvi (fasciculum), si quid ad me esset litterarum.

Hor. Ep. I. 17. 4 : Vide p. 27.

Verg. Ecl. VI. 57: AEn. I. 181.

Hactenus mihi videor de usu illo *si* particulae scripsisse.

(1) Cf. supra Ep. 449 : « si quid vis ». Satis constat modo mutato mutari sententiam.

(2) Cf. supra Aul. 209 : « ...si quid me vis ». Sententiam quoque mutari liquet.

Jam haec ita valere spero, ut plura dici non oporteat; nec quemquam mirari, cur in iis, qui aliter senserunt, refutandis consistere noluerim. Ego quidem non decere putavi, rem per se ipsam satis esse locuturam confisus.

PARS ADDITA POSTERIOR

DE HOC VEL TALI GENERE LOQUENDI « MIROR SI »

Pauca de illa constructione addam, quae cum conjunctivum fert, multi perperam ponunt, in particula vim aliquam inesse interrogativam. Nam quod et alias (1) et nuper etiam dixi, eum esse conjunctivum, qui ad notionem enuntiationis secundariae propriam (notionem dico eam, qua secundaria primariae subjungitur) saepe novam quamdam adjungat, id rursus prodere posse mihi videor. Ubi enim post *miror si* conjunctivum invenias, adjungitur significatio potentialis vel eventualis. Hoc quidem exemplum primum praebeo, quo nihil magis ad probandum valere potest.

Curc. 265 : Nil est mirandum, melius si nil sit tibi.

Ita Goetz et Schoell VE secuti, Leo autem B secutus edidit *fit*. Cum indicativo haec est sententia : « nil est mirandum, si nihil tibi *nunc* fit melius » ; cum conjunctivo : « nil est mirandum, si nihil tibi (*nec nunc nec in posterum*) *fieri potest* melius ». Gallice reddas : « rien d'étonnant, si cela ne *va* pas mieux *maintenant* » ; « rien d'étonnant si cela ne *peut* pas aller mieux (maintenant et dans l'avenir) ». Ego vero profi-

(1) Oct. 1903 ; Rev. de Phil., t. 27 : Etudes latines III. Le subjonctif après *quotiens*.

teor, me, quae est in loco sententiarum ratio, hunc illi sensum anteponere, ob eamque rem cum Goetzio et Schoellio quam cum Leone facere malle.

Eamdem quoque notionem conjunctivus in his exemplis inclusam esse significat, verum etiam rem simul menti loquentis propositam ostendit :

Andr. 175 : Mirabar, hoc si sic abiret.

Phorm. 490 : Mirabar, si tu mihi quicquam adferres novi.

INDEX RERUM

Vidi

Die XVIII mensis Martii.

Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi

Decanus,

A. Croiset.

Typis Mandetur.

Academiae Parisiensis Rector,

L. Liard.

Le Puy. — Imprimerie Régis Marchessou, boulevard Carnot, 23.

2